

ORDINIS MEDICORVM  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI  
PRO-DECANVS  
CHRISTIANVS GODOFR.  
STENTZEL

ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR  
CHIRVRGIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIUS PA-  
THOLOGIAE PROFESSOR SVBSTITUTVS

LECTORI  
SALVTEM.

CHRISTIANUS GODFRED  
STENTEXI  
HOLY GOSPEL OF ST. MATTHEW  
CHURCH OF ENGLAND  
PRINTED BY THE AUTHORITY  
OF THE CHURCH OF ENGLAND  
FOR THE USE OF THE CHURCH OF ENGLAND  
IN ACCORDANCE WITH THE REFORMED  
CEREMONIES OF THE CHURCH OF ENGLAND  
PRO-DIGANAS



**S**CATET INNUMBERIS ARS SALUTARIS PRAEJUDICIIS, AC  
GRAUFISSIMOS MULTI MEDICI IN PRAESERUANDIS CU-  
RANDISQUE MORBIS FOVENT ET COMMITTUNT ERRO-  
RES. Nihil iam dicam de peccatis medico-  
rum, quae ex uenae sectionis abusu in miseros re-  
dundant aegrotos; silentio transibo detrimenta, quae  
promiscuam sic dictorum specificorum, polychre-  
storum et uniuersalium remediorum propinicationem  
sequuntur; ea saltem uitia, quae multi medici pur-  
gantibus abutentes committunt, paucis attingam.  
Non uulgus saltem, sed multi etiam, qui medici-  
nae Doctoris titulo superbunt, ea anili persuasione  
occupati tenentur, quod omnes morbi purganti-  
bus praecaueri ac curari possint; unde iidem qui-  
busuis hominibus sanis et aegrotis, tum imminentes  
morbos praeseruandi, tum praesentes sanandi fine,  
purgantia exhibit, non considerantes discrepan-  
tem hominum constitutionem, diuersum uictus et  
uitae genus, ac multiplicem morborum causam ua-  
riamque eorum sedem. Ast corpus nostrum, re-

geris, fouet ad putredinem concipiendam, ex qua febres aliquae morbi oriuntur, dispositionem, haec autem omnium optime pilulis purgantibus balsamicis, quae impuritates euacuant, et relicta substantia balsamica, putredinem abarcen, praecaue-ri, ac hoc modo sanitas integra conseruari potest. Magis uero huiusmodi panacea purgans optanda, quam speranda est. Non sum nescius, multos reperiri, qui pilulas Becheri, Stahlii etc. omnibus hominibus, tam sanitatem tuendi, quam infirmitates remouendi scopo, commendant; at enim uero cui sedulo rerum scrutatori atque obseruatori ignotum, quod multi earundem pilularum usu in pertinacissimam alii constipationem inciderint. Quot iisdem pilulis fluxum haemorrhoidalem symptomaticum sibi accersuerunt? Quot iisdem frequentius adhibitis in tabem et febrem hecticam inciderunt? Summa sane temeritas, purgantia sanis hominibus remedia, prosperam valetudinem tuendi scopo, sine discrimine obtrudere. Sano sane homini, cui sana est uiuendi ratio, nulla, multo minus purgantia, praescripserim remedia, agnoscens eorum ueritatem et certitudinem, quae proposuit HIPPOCRATES (a) sequentibus purgantium in sanis abusum dissuadens: οἱ ἐν ταῖς σώματα ἔχοντες, Φαρμακέυσθαι ἐργάδες, h.e.

ii,

---

(a) Aphor. 73. Sect. II.

ii, qui integra fruuntur valetudine, remedia purgantia moleste ferunt. Idem alio loco allegatus modo Cous (b) medicinam exercentibus inculcat: οἱ ὑγιεῖνως ἔχοντες τὰ σώματα ἐν τῷσι Φαρμακείσι καθαρόμενοι, ἐκλύονται ταχέως, nempe ii, qui corpore sunt sano, ex usu purgantis maxime debilitantur, ita, ut haud raro animi deliquium accedit. In sanis enim, quibus libera, uel singulis uel alternis diebus, fecum aliinarum contingit secretio atque excretio, purgantia, irritando uehementius neruos, resoluendoque hinc succos gelatinosos, virium prostrationem, solidorum ariditatem aliaque plura incommoda afferunt, ea que ordinario grauiora, quo fortiora fuerunt prescripta euacuantia, quod pariter iam indicauit Hippocrates, (c) haec de hellebore tradens: ἐλλέβορος ἐπικύνδιος τοῖσι τὰς ὑγιέας σάρκας ἔχουσι σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει, h. e. helleborus sanas carnes habentibus periculofus, conuulsionem enim inducit. Cum uero teste eodem (d) σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου, θανάσιμον, nempe conuulsio ex hellebore lethalis, fatis hinc colligi potest, quanto studio quantoque odio a sanis non helleborus modo, sed alia quaevis draistica purgantia sint fugienda. Sequamur potius Cornelii Celsi (e)

A 3

con-

---

(b) Aphor. 36. Sect. II. (c) aphor. 16. Sect. IV. (d) aphor. I. Sect. V. (e) lib. de Medicin. lib. I. cap. I.

consilium, qui suadet, ut homo sanus, qui et bene valet, et suae spontis est, nullis se legibus obliget, ac neque medico, (multo minus purgantibus) neque iatrolipta egeat, sed uarium habeat uitae genus, modo ruri, modo in urbe, saepiusque in agro sit, nauiget, uenetur, quiescat interdum, sed frequenter se exerceat; siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Quemadmodum autem remedia purgantia, cum primis draistica, sanis, prosperam tuendi scopo ualitudinem, non conueniunt, ita pariter eadem in plurimum cura morborum proscribenda. Primum autem eadem fugienda, si uehemens uirium ad sit prostratio atque aestus, quae quippe istiusmodi remediis exasperantur. Magis autem eadem timenda remedia, si modo commemorata symptomata sint inflammationis effectus. Merito hinc multiplici experientia sustultus Hippocrates eorum methodum medendi improbat, qui inflammations purgantium usu remediorum tollere gestiunt, ὄνόσοι, inquit, (f) τὰ φλεγμαίνοντα ἐν ἀρχῇ τῶν νόσων ἐνθέως ἐπιχειρέοσι λύειν φαρμακεῖν, τὰ μὲν φλεγμάνοντος γδὲν ἀφαρέουσιν ἢ γὰρ ἐνδιδοῖ ὡμὸν ἐὸν τὸ πάθος, τὰ δὲ ύγιεινὰ συντήνοσιν h. e. quicunque per initia

---

(f) nou. aphorismis a Sponio editis Sect. V. aphor. 9. p. m. 289.

tia morborum inflammations medicamento purgante soluere tentant, ii de inflammata parte nihil detrahunt, cum non cedat cruda affectio; ea uero, quae sana sunt, colliquant. Summum pariter detrimentum in cura diarrhoeae et dysenteriae afferunt purgantia, quae tamen a multis medicis et commendantur et praescribuntur. Non sine magna mentis perturbatione in memoriam reuoco historiam aegrotae, quae laborans diarrhoea, usu rhabarbari, ac deinceps pilularum Becheri spiritu uini solutarum, in dysenteriam incidit eaque misere, succedente intestinorum sphacelo, perit. Licet uero plures huiusmodi historiae notae sint, licet purgantium in medela diarrhoeae et dysenteriae detrimentum satis iam euictum, quotidie tamen adhuc talia remedia in commemorative modo morbis adhiberi et praescribi, obseruamus. Ita pariter fccioris hominibus constitutio-  
nis, ac qui sic dictis catharrhis acribus laborant, et qui exinde haemorrhagia afficiuntur, purgantia non conueniunt, ex Hippocratis (g) testimonio atque experientia haec scribentis: μὴ Φαεμανέουν τὰς βρεγγυχαλέες, τὰς σπληνώδεας, τὰς πνευματικὰς καὶ ἔηρα βήσσοντας, τὰς μιτερώδεας καὶ τῆς ψεύθρας ἀνρατεῖς, καὶ ἄν αἱ ποιλίαι ὡμὰ ἐκβάλλεται, καὶ αἱμορρώδεας, h. e. minime purgandi sunt  
raucedi-

(g) nouis aphorismis Hippocratis a Sponio ed. Sect. V. §. II. p. 294.

raucedinosi, lienosi, asthmatici et sicca tussi labo-  
rantes, icterici, stranguria affecti, et quibus cruda  
aluus deicit, et qui haemorrhagiam patiuntur.  
Quid iam dicam de specificis purgantibus, quae  
certis visceribus dicata esse, multi autumant? non  
repudio eccoprotica in cura cephalalgiae, quae al-  
ui constipationem sequitur, sed talia prostare pur-  
gantia, nego, quae omnem capitum dolorem tolle-  
re, atque ex capite in specie materiam peccantem  
abducere queant; remedia enim purgantia non se-  
cundum modum actiuitatis suae, sed receptiuitatis  
operantur, unde nulla dantur purgantia cephalica,  
hepatica, splenetica, nec cholagogica, nec phlegma-  
goga, melanagogica specifica prostant, sed quaevis  
purgantia quasuis, quas in canale alimentorum de-  
prehendunt, impuritates euacuant. Selectum ni-  
hilo secius in praescribendis purgantibus instituen-  
dum esse iudico, cum alia sint mitiora, alia fortio-  
ra; alia resinosa, alia salina; alia emollientia, alia re-  
soluentia. Fortiora uero in sanis penitus repudio,  
in aegrotis hydrope aliisque similibus morbis la-  
borantibus, nonnisi summa urgente necessitate,  
admitto; cum talia remedia, ob salis acrioris, quo  
abundant, copiam, haud lenem iniuriam uentricu-  
lo aliisque partibus inferant, imo exulcerationem  
penitus inducant teste Hippocrate, (h) τῶν ἰσχυ-  
ρῶν Φαρμάκων ἡτα πλεῖστα ἐλνοῖ τὸν σόμαχον,

h. e.

---

(h) aphor. nou. a Sponio ed. Sect. V. §. 15. p. 296. et 297.

h. e. purgantia uehementia ut plurimum stomachum exulcerant. Multa adhuc de diuersis purgantium principiis & modis adducenda essent; restant quoque adhuc multa curiosa de purgatione, auditu, aspectu, gustu, odoratu, somnio, retentione purgantis in manu, inunctione, infusione in uenam, gestatione sub plantis pedum, coitu, lactatione, imaginatione, metu, helleboro fonticulis indito, esu ouorum barbi, excitata, sed temporis penuria coactus hic filum abrumpo, et cum de usu et abusu purgantium pro Licentia suam dissertationem Inauguralem conscripserit Nobilissimus Candidatus Noster, ad eandem B.L. ablegamus. Quod uitae illius ante actae rationem attinet, eandem sequentibus descriptam habes:

*Cum mos sit antiquitus receptus, ut quilibet Medicinae Candidate, ad summos in Arte Asclepiadea, quam a praestantia sua salutarem uulgo appellant, honores adsppirans, quicquid de uitae generante peracto obseruatu dignum sit, praesente Gratiose Medicorum Academicorum Ordine, proferat, non possum, quin de meae etiam uitae adhuc institutae ratione pauca quaedam proponam.*

Mibi IOANNI GVSTAVO RVDOLPHO  
primo lucis usura contigit Anno restitutae per Christum Salutis  
Millesimo, septingentesimo octauo, Mensis Iunii die secundo, Mariae-  
bergae Misniensem, oppidi haud adeo obscuri, quo quippe in loco na-  
tus sum Patre IOANNE MARTINO RVDOLPHO,  
Pharmacopaeo ibi ordinario, Matre autem IOANNA SV-  
SANNA, Sanguine HAEHNELIANO oriunda, qui-  
bus,

bus, quae singularis Dei ter optimi, ter Maximi, est clementia, saluis adhuc superstitionibusque gaudeo. Prius hisce antiquiusque nibil fuit, quam ut omnibus, quae ad immortalis Numinis gloriam, patriae emolumentum, suam denique ipsorum spem et gaudium facerent, satis superque imbuuerer. Quo nomine aetate Musis apta scholis patrice publicis priuatisque me deuouerunt, nibilque prorsus intermissionerunt, quod proposito huic consummando ullo modo inseruiret. Fidelitatem uero summam studiumque non uulgare in me collocarunt B.  
Dn. M. TECHELMANNVS, Rector, atque Dn. M. SCHELLENBERGERVS, Con-Rector dignissimus ac fidelissimus, quorum quippe ope non solum literarum humiorum delicias Veneresque in succum et sanguinem conuerti, sed et Philosophiae capita potiora, rerumque gestarum historiam, apprehendi. Neque uero in hisce solum substizi, sed in studio etiam Medico, quod nunquam non in delicis meis habui, cuius amore ac desiderio a teneris iam annis sanguui, qualemcumque impendi operam. Labores in primis Chemico-Pharmaceuticos sub optimi Parentis auspiciis, eosque rationali metodo congruos frequenter institui. Tam late autem fescum extendat Diuinae medendi Artis campus, ut, summo licet studio in studio ipsius progrediamur, a via tamen saepius aberremus, necessitatem binc impositam mibi uidebam, eiusmodi felicendi locum, in quo Virorum, cognitione Medica pariter ac sanandi felicitate conspicuorum, praceptis, tanquam filo quodam Ariadnaeo, ad abstrusa buius studii penetralia feliciter et uelociter deducerer. Collatis itaque inter se rationibus, accidente insuper Fautorum iuxta ac Amicorum persuasione, Anno orbis redempti millesimo Septingentesimo trigesimoque Vitebergenses ad Albinum Musas salutauit, quorum in me fauorem atque solicitudinem depraedicare satis non possum. In eo autem rotus ibi fui, ut Artis Salutaris praecpta ea, qua par esset, sedulitate addiscerem, speique adeo Patriae et Parentum iam pridem de me conceptae, utcunque fieri posset, satisfacerem. Nihil autem solidae eruditioni Medicae magis

magis obstat, ratus, quam Philosophiae Naturalis contemptum neglegitumque, Viri Excellentissimi MARTINI GOTTHELFII LOESCHERI Lectionibus Physicis, iisque experimentalibus, nunquam non adfui. Quibus praemissis, ad ipsum Artis Medicae studium proprius accessi. Praeeunte enim Viro Perillustri IOHANNEM GODOFREDO Nobili Domino de BERGER, genuinom medendi methodum mibi comparaui. Anatomici autem Celeberrimi, ABRAHAMI VATERI, Sermonibus Anatomicis, in HEISTERI Compendium habitis, sedulo interfui; Quo ipso etiam in Botanicis usus sum duce. Instar autem omnium mibi fuit CHRISTIANVS GODOFREDVS STENTZELIVS, cuius incredibile fere in me studium, docendique fidelitatem, omni elo- glio maiorem, nullo non tempore sum exosculatus, et ad cineres usque exosculabor. Nulla enim est Medicinae, tam Theoreticae, quam Practicae, pars, quam ex ore ipsius non percepit. Primo sequi- dem loco explicationes ipsius in Aphorismos Medicos, eosque Theore- retico - Procticos, hanc ita pridem luci publicae ab ipso expositos, a capite ad calcem audiui. Quibus finitis, Materiam Medicam uni- uersam cum annexa Methodo Medendi generali familiarem mibi reddidi. Hisque simul adieci doctrinam Characterum cuiuis mor- bo proprietatum, quae Semiotices nomine insigniri alias solet. Stu- dium insuper Chemico - Pharmaceuticum, cuius in patria olim fun- damenta ieci, eodem duce, ad liquidum perduxerunt. Methodus autem Medendi specialis, quae Praxis uulgo audit, cum principem inter omnes locum iure merito sibi vindicet, hanc etiam in primis cogni- ram, eius beneficio, perspectamque habeo. Neque uero Chirurgi- am explorandi addiscendique, defuit occasio; Nuckii quippe, fami- geratissimi illius Batavorum oculatissimique Anatomici Experi- menta Chirurgica idem ille non enucleauit tantum, sed et, quae deesse ibi uidebantur, ingeniose suppleuit. Nouissime uero omni- um Collegium eiusdem Medico - Forense in Experientissimi Teichmei- eri Compendium Medico - Legale, qua potui attentione, accepi. His- que

que omnibus nondum contentus, priuatos etiam intra parietes, seu intra sindonem, institutione Celeberrimi buius Viri, semotis aliis, solus sum usus. Probe tandem gnarus, quantum ex certaminibus illis eruditis, quae Disputationes uocantur, emolumenti in adolescentes, Musarum alumnos, redundet, Praefide saepius iam memorato, STENTZELIO, Praeceptore meo ad urnas colendo, de Venenis, partium genitalium et Liquoris neruosi sterilitatem inducentibus, publice disputauit, hancque thesin in summa Auditorum frequentia pro virili defendi. Votis autem Parentum, Parris in primis aetate iam prouecti, eiusque redditum meum quantocuyus exposcens, satis ut facerem, Musis Vitebergae degentibus, exantato quippe studio Medico, ualedixi, Deo et Patriae operam post hac, quantamcumque potero, nauaturus. Haec sunt, quae de uitae meae ortu, patria, parentibus, studiisque abhuc excutis, expositu necessaria esse, mibi uidebantur.

Haec ille. Satis fecit tenus hac legibus Facultatis nostrae Candidatus, talemque se in examine rigoroso praestitit, qualem expectauimus. Dissertationem quoque Inauguralem suam instantे XXXI. Maii horis ante et pomeridianis tuebitur, quam ut Rector Academiae Magnificus, Illustrissimus Comes, Perillustres Liberi Barones, Patres Academiae, eiusdemque Fautores atque Amici sua praesentia decorent, est, quod imis efflagitamus precibus. P. P. Vitembergae die XXIX. Maii anni c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> cc XXXIV.

---

VITEMBERGAE  
Ex OFFICINA EICHSFELDIANA.